

(52) Nos Alexander S. Laurentij in Damaso Diaconus Cardinalis de Tarnesio S. R. E. Vice-
cancellarius, fidem facimus, et attestamus, qualiter hodie, die Mercurij XXVI. Januarij
M. D. LXXII. Pontificatus Sanctissimi D. nostri, D. Pij diuina prouidentia Pape quart
anno quinto, in Confessorio secreto, apud S. Petrum Reuerendiss. DD. mei Cardinalis
Moronus, et Simoneta, nuper reuersi a sacro Concilio Tridentino, cui utriusque Sedis
Apostolica Legati praerant, petierunt ab eodem Sanctissimo D. nostro, ut infra

Beatissime Pater in Decreto super fine Concilij oecumenici Tridentini, pridie
nonas Decembris praeteriti publicato, statutum fuit, ut per Sanctitatis Vestrae, et
Sanctae sedis Apostolicae Legatos, et Praesidentes peteretur nomine dicti Concilij a
Sanctitate Vestra confirmatio omnium et singulorum quae tam sub fel. rec. Paulo
iij, et Julio iij, quam sub Sanctitate Vestra in eo decreta et definita sunt. Quae,
propter nos Joannes Cardinalis Moronus, et Ludouicus Cardinalis Simoneta, qui
tunc Legati et Praesidentes eramus, uolentes exequi quod in dicto Decreto stabi-
litum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilij oecumenici Tridentini, ut
Sanctitas Vestra dignetur confirmare omnia, et singula, quae tam sub fel. rec. Paulo
iij, et Julio iij, quam sub Sanctitate Vestra in eo decreta et definita sunt.

Quibus auditis, Sanctitas Sua, uiso, et lecto tenore dicti Decreti et habitis
uotis Reuerendiss. DD. meorum Cardinalium respondit per Sac. uerba.

Petitioni, nomine Concilij Oecumenici Tridentini super eius confirma-
tione per dictos Legatos nobis facta, annuentes, omnia, et singula, quae in dicto
Concilio tam sub fel. rec. Paulo iij, et Julio iij praedecessoribus nostris, quam
Pontificatus nostri tempore decreta, et definita sunt, auctoritate Apostolica, etiam
de Venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium consilio, et assensu, matura
cum illis deliberatione praesabita confirmamus, atque ab omnibus Christi fide-
libus recipi, et inuiolabiliter obseruari mandamus, in nomine Patris, et Filij
et Spiritus Sancti. Amen

Ita est A. Cardinalis
Tarnesius, Vicecancell.

